

hace esto en muchas iglesias. En Roma, durante el mes de Noviem-

sua, *et erit Deus omnia in omnibus*, I. Cor. xv. 28. et ut lux oculis, sic gaudium animabus (Id. ibid. cap. 168). — Igitur sicut in Ecclesia dedicata rite Missa celebratur, sic in Ecclesia catholica legitime sacrificatur, et extra hanc nullum sacrificium a Deo acceptatur. Et quamvis Deus ubique sive in agro, sive in eremo, vel in mari, vel in omni loco dominationis ejus juste possit ac debeat benedici, et invocari, ut puta in templo totius mundi, tamen jure opportuno tempore ad Ecclesiam a fidelibus curritur, ut ibi Deus invocetur, atque adoretur, in qua omnem rem quam duo ex consensu petierunt se daturum pollicetur, et ubi ipse duobus vel tribus in nomine ejus congregatis interesse perhibetur. Matth. xviii. 19. et 20. Justum quippe est ut christianus populus in oratorium quasi ad prætorium conveniat, judicia ac mandata æterni Regis audiat, atque de convivio vituli saginati percipiat. Cum ergo populus in Ecclesiam congregatur, quasi templum Deo ad inhabitandum ædificatur. Ecclesia autem in Ecclesia, est plebs christiana in aula dedicata. Templum quoque est in templo, baptizatus quilibet in domo consecrata (Id. ibid. cap. 169). — Quando Ecclesia consecratur, solus diaconus eam ingreditur, januas claudens ibidem expectat, episcopo responsurus. Tunc episcopus de foris aquas benedicit: non sine sale, acceptoque fasciculo hyssopi, ex aquis, quas modo sanctificaverat, Ecclesiæ parietes ter circumeundo aspergit: ter quoque cum virga pastorali januas percutiens dicit: *Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ?* Ps. xxiii. 7. Et ille *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio*. Post tertiam itaque percussione, paucos ex ministris secum ducem, Ecclesiam ingreditur, cætera multitudine foris expectante. Tunc episcopus totum alphabetum in modum crucis bis in pavimento describit; ac deinde sicut prius alias aquas sanctificat, quibus non tantum sal, sed cinerem quoque miscet et vinum. His autem altare et Ecclesia interius aspergitur et consecratur. Postea vero super altare oleo et chrismate fuis, lapidem ipsum episcopus ungit. His igitur expeditis significationem videamus... Audi igitur quid Dominus dicat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei*. Joan. iii. 5. Aqua enim quæ lavandis corporibus idonea est, tantam virtutem divinitus accipere meruit, ut sicut corpora a sordibus, ita et animas mundet a peccatis.

bre, las de las dos principales iglesias, San Pedro y San Juan de Le-

— Manifestum itaque est quod hæc aqua Baptismum significet, cujus aspersione Ecclesia consecratur, et quodammodo baptizatur. — Ipsa vero ecclesia eam utique Ecclesiam designat, quæ in ea continetur, id est, multitudinem; unde etiam ecclesia vocatur, eo quod Ecclesiam contineat... Hæc ecclesia ex lignis, lapidibusque constructa eam Ecclesiam designat quæ ex vivis lapidibus ædificatur: cujus lapides non calce, sed charitate junguntur et uniuntur: cujus *fundamentum Christus est*, I. Cor. iii; cujus portæ apostoli sunt, Apoc. xxi. 14; cujus columnæ episcopi sunt et doctores: in qua unusquisque lapis tanto amplius rutilat, quanto fidelior et melior est... Interim autem de sale dicamus. Sal enim in divino eloquio frequenter pro sapientia ponitur. Unde est illud: *Sermo vester sale sit conditus*. Coloss. vi. 6. Et Dominus discipulis: *Habete, inquit, sal in vobis, et pacem habete inter vos*. Marc. ix. 49. Itemque: *Vos estis sal terræ; quod si sal infatuatum fuerit, in quo condiatur?* Matth. v. 13. Hinc etiam secundum legem nulla hostia sine sale offertur, Levit. ii. 13, sed in omni sacrificio ponitur. Unde manifestum est, quia sal pro sapientia ponitur. Sic est enim sapientia condimentum omnium virtutum, sicuti sal condimentum omnium ciborum... Hyssopus naturaliter in petra nascitur: *Petra autem*, ait Apostolus, *erat Christus*. I. Cor. x. 4. Bona herba hyssopus, quæ nascitur et renascitur et radicitur in Christo. Per hanc enim etsi tota fidelium multitudo intelligi possit, præcipue tamen illi per hyssopum figurantur, qui in Christi fide radicati ab ejus amore divelli et separari non possunt. Per quod quid melius quam episcopos et presbyteros intelligere possumus qui quanto majorem in Ecclesia obtinent dignitatem, tanto firmiter Christi fidei inhærere debent: et per hos quidem spargitur aqua: per hos et ab his baptizantur Christi fideles: his datum est perficere baptismatis Sacramenta. Nec illud quidem prætereunt dum est, quod ter episcopus ecclesiam circumit, ter parietes aqua aspergit. — Apparet enim etiam in hoc figura Baptismatis. Audi igitur quid suis discipulis Dominus dicat: *Ite, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Matth. xxviii. 19. Hinc est igitur: quod sacri canones ter in aquam mergi præcipiunt eos, qui baptizantur. Quia itaque ecclesia non potest mergi in aquas, ter ab episcopo circumeunte aspergitur aqua. Vides ergo quam bene omnia quæ supe-

rius dicta sunt, Baptismi convenient Sacramentis? Hinc autem illud quoque videamus, quod ter cum virga pastorali ecclesie januas episcopus percutit. — Quid enim virga pastoralis, nisi sermo divinus et predicatio Evangelica intelligitur? Quod autem sermo virga vocetur, propheta de Domino testatur, dicens: *Quia percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Is. xi. 4. Virga oris sermo est. Virga igitur januas percutere, est aures audientium predicationis voce ferire: aures enim portae sunt, per quas ad corda audientium sanctae predicationis verba introducimus. Unde Psalmista ait: *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiae Sion.* Ps. ix. 15. Quid est enim in portis filiae Sion, nisi in auribus et auditu fidelium? Illud quoque non vacat mysterio, quod ter episcopus januas percutit. Numerus iste et notissimus et Sacratissimus est. In omni enim dedicatione ter semper episcopus januas percutere debet: quia sine invocatione Trinitatis nullum in Ecclesia sit sacramentum... Expositis autem omnibus, quae in ecclesiae dedicationes exterius episcopus agit, hinc etiam quid interius faciat videamus. Ingressus enim in ecclesiam, bis totum alphabetum scribit in pavimento; per quod vel utrumque Testamentum, vel duplex sanctarum Scripturarum intelligentia figuratur... Sed quid est quod non in directum, sed in obliquum, et in modum crucis haec litterae scribuntur. Nisi quia ad hanc sanctarum Scripturarum intelligentiam pertingere non valet, qui crucis mysterium non recipit, et Christi passione non se credit esse salvatum? Soli enim christiani hanc intelligentiam habent, qui crucis signaculo insigniti sunt... Post haec autem episcopus aliam aquam benedicit, cui non tantum sal, sicut priori... sed vinum quoque cum cinere miscet. — Haec autem aqua Spiritum Sanctum significat, sine cujus afflatione nihil unquam sanctificatur, et sine cujus gratia non fit remissio peccatorum. Quod autem Spiritus Sanctus aqua vocetur, ipsa veritas ostendit dicens: *Qui credit in me... flumina de ventre ejus fluent aquae vivae: hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Joan. vii. 38. et 39. Vide ordinem Sacramenti, exterius aqua, et interius Spiritu, Ecclesia consecratur. Hoc est enim quod Dominus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto.* Joan. iii. 5. Ecce aqua, ecce Spiritus Sanctus... Hac igitur aqua et ipsum altare, et totum interius templum aspergitur... Dicamus igitur, quid vinum significet: vinum hoc in loco majorem et spiritualem divinae legis intelligentiam

designat: unde ad nuptias vocatus Salvator noster in vinum aquas convertit: Joan. ii. 1. et seq. quatenus majori intelligentia nos erudiret, et spiritualis novaeque doctrinae nectare satiaret. Divina namque Scriptura ad litteram intellecta, aqua est sine sapore et jucunditate: quae si spiritualiter intelligatur, vinum fit, et quidem miri saporis magnaeque suavitatis. Quod enim interest inter aquam et vinum, hoc interest inter litteram et spiritum... Restat nunc ut de cinere dicamus... Sed quis cinis nisi poenitentia. Sedere namque in cinere, cilicio indui, poenitentium est. Hinc est enim quod de Ninivitis poenitentibus dicitur, Joan. iii. 6: *Quia rex ipse surrexit de solio suo, et indutus est sacco, et sedit in cinere.* Hinc et David, Psal. ci. 10: *Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu temperabam...* Babyloniae quoque per prophetam Dominus loquitur: *Descende, sed in pulvere virgo filia Babylonis, non est solium ultra tibi.* Is. xlvii. 4. Unde et consuetudo in Ecclesia inolevit, ut per singulos annos in initio Quadragesimae capita nobis cinere aspergamus. His autem et similibus facile ostenditur, quia per cinerem poenitentia designatur... Quibus ita permixtis, accedit episcopus ad altare, et accepto fasciculo hyssopi hac supradicta aqua aspergit, atque sanctificat ecclesiam et altare. Sed quid altare in templo significat? Apostolus enim dicit: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* I. Cor. iii. 17. Si ergo templum Dei sumus, et altare habemus; altare nostrum, cor nostrum est. Hoc est enim cor in homine, quod est altare in templo. In hoc enim altari fit sacrificium laudis et jubilationis. Unde Psalmista, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non spernit.* Ps. i. 29. In hoc dunt in caelum, quia ad cor respicit Deus. Hoc igitur altare aspergitur aqua, quando corda hominum evangelica predicatione mundantur a peccatis. — Nam et predicatio aqua est, secundum illud: *Omnes sitiennes venite ad aquas.* Is. lv. 1. Itemque: *Aqua profunda, verba ex ore viri.* Prov. xviii. 4.; et item: *Reputetur sicut pluvia eloquium meum.* Deut. xxxii. 2. Hac igitur aqua, id est evangelica predicatione, et Sancti Spiritus sanctificatione, et cordis altare et totus homo mundatur et sanctificatur... Dicamus igitur, quid oleum et chrisma significet... Oleum misericordiam designat, quam qui non habet, id ipsum amisit quod baptizatus est. Unde ipsa veritas ait: *Si non miseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Matth. xviii. 35. Hinc est etiam quod Dominus ait: *Misericordiam volo et non sacrifici-*

cium. Os. vi. Matth. ix, 13. Hoc igitur unguatur, hoc oleo liniatur altare cordis nostri, ut semper misericordiæ memores... Baptismi regenerationem non dimittamus... Cui si balsamum addamus fit chrisma, quo reges unguuntur et sacerdotes. Balsamum autem tunc jungitur oleo quando bonus odor additur misericordiæ. Sed quid est bonus odor? Lætitia spiritualis et bona voluntas. Unde Apostolus ait Rom. xii. 8: *Qui miseretur in hilaritate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Tali igitur chrismate ungantur christiani, ut vero nomine vocentur christiani: quoniam christianus a Christo, et Christus a chrismate dicitur. Ille enim tali chrismate unctus est, qui vitæ honestate, et merito sanctæ conversationis longe circumquaque suæ bonæ famæ spargit odorem. Unde Apostolus: *Christi bonus odor sumus Deo, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* II. Cor. ii. 15. et 14. Sic igitur ecclesia consecratur: sic Dei populus innovatur, benedicitur et sanctificatur. — Duodecim autem cerei, duodecim apostoli sunt, quorum doctrina fugatæ sunt tenebræ, quorumque prædicatione illuminatus est mundus. Lapis autem altaris non solum Christum, sed Christi quoque membra significat. De quo lapide scriptum est: *Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper.* Genes. xxviii. 18. Sanctorum reliquiæ in altari ponuntur. Altare quoque cordis nostri sine sanctorum reliquiis esse non debet. Sanctorum namque reliquias in corde gestamus, si eos semper in mente habemus, si eorum dicta et exempla tenemus, eorum verba memoriæ commendamus (S. BRUN. ASTENSIS, de *Eccles. ritibus*). — Primo itaque aquam benedicimus, cui et sal admiscetur. Aqua enim pœnitentiæ figuram gerit, quæ velut aqua peccatorum maculas abluit, quam tunc benedicimus, cum virtutem pœnitentiæ populis ad fidem venientibus prædicamus... Cui admiscetur sal, id est, evangelica doctrina, fluxa auditorum corda suavi mordacitate constringens, et ad conservandam vitæ novitatem sapienter componens. Ista aqua ad quamdam Baptismi imaginem gyrando ecclesiam tunc exterius (*ter*) aspergimus... Interim autem in circuitu dedicandæ ecclesiæ duodecim sunt accensa luminaria, quibus significatur, quod commendanda sit lucens et ardens apostolica doctrina.... Ad singulos vero circuitus accedit pontifex ad ostium basilicæ, clero et populo subsequente: et percutit superliminare virga pastoralis, cantando antiphonam: *Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales* Ps. xxiii. 9. Virga enim pastoralis potestas intelligitur sacerdotalis,

quam Dominus discipulis suis contulit, quando eos ad prædicationem mittens, nihil eos in via ferre nisi virgam tantum permisit. Matth. x. et seq. Marc. vi. 8. Qua virga sancti sacerdotes et solantur humiles; et terrent superbos, et feriunt impœnitentes. Quam potestatem a Patre Filius accipit... eadem... suis largitus est præsulibus, cum Petro, et in eo Ecclesiæ principibus potestatem dedit dicens, Matth. xvi. 18 et 19: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.* Cui ergo portæ inferi non prævalebunt, et cui ligandi atque solvendi in cælo et in terra privilegium traditur, constat quia et cælo et terræ et inferno principetur. Cum ergo pontifex superliminare futuræ ecclesiæ virga pastoralis ter percutit, ostendit quia sibi cæli et terræ et inferi potestas cedit. Unde et post trinam percussione ostium aperitur, quia sacerdoti potestatem suam conservanti pars adversa resistere non potest. Nam ipsa ecclesia, antequam pontifex eam ingrediatur, populi ignorantis et perfidiæ tenebris inclusi figuram tenet... Imperat autem pontifex dæmonibus, seu vitiis, dicendo: *Tollite portas principes vestras...* Aperto vero ostio intrat pontifex cum clero et populo, dicens: *Pax huic domui:* ter, quia Christus mundum ingrediens per assumptionem carnis nostræ, parietem inimicitiarum peccatis nostris erectum destruxit: et pacem inter Deum et hominem, inter et terrestria et cælestia sui adventus mediatione reformavit. Pontifex ergo ecclesiam ingrediens, *Pax huic domui* clamat: quia sancti doctores hoc entendunt, ut populus qui a Deo discordaverat per peccata, ei reconcilietur per bonorum exercitia. Quod vero, intrante pontifice in ecclesiam, clerus, sacerdos et levitæ prostrati in terram ad Dominum clamant pro sanctificatione ipsius domus: Hoc est quod Dominus ante passionem fecit pro discipulis et cæteris fidelibus orans: *Pater, sanctifica eos, quos mihi dedisti.* Joan. xvii. 14. Ita enim Paulus tanquam Ecclesiam ingressus, cohortatur omnes ad orationem, dicens: *Obsecro primum omnium fieri orationes, postulationes pro omnibus hominibus,* etc. I Tim. ii. 1. Pontifex ergo dum in novam ecclesiam, eam sanctificaturus ingreditur, et statim ad orationem se confert, Apostoli vocem complet, qui pro omnibus hominibus orationem fieri monet. Et ita adhuc eorum typum tenet, qui rudem populum docere incipiunt. Inde est quod surgens ab oratione, nondum salutatur populum, dicendo: *Dominus vobiscum;* sed

tantum ad orationem cunctos hortatur, quia novellus populus necdum sacerdotis salutatione dignus videatur.... Orandum ergo est pro talibus qui nondum initiati sunt, non tamen salutandi sunt, quia non est eis consentiendum vel applaudendum. Unde ipsis prædicatoribus Dominus dicit, ut *neminem saluent in via*, Luc. x, 4.; id est neminem transitoria appetentem vana spe demulceant. His completis incipit pontifex de sinistro angulo ab Oriente scribere per pavementum alphabetum, usque in dextrum angulum Occidentis: atque iterum a dextro angulo Orientis usque ad sinistrum angulum Occidentalem basilicæ. Quid autem per alphabetum, nisi initia et rudimenta doctrinæ sacræ intelligi convenit? Unde Paulus ad Hebræos: *Cum deberetis esse magistri propter tempus: rursus indigetis ut instruamini quæ sint elementa sermonum Dei*. Hebr. v. 12. Scribit etiam pontifex alphabeti ordinem, cum docet fidei simplicitatem.... In tali schemate crux figuratur, ut doctrinæ evangelicæ, qua simplices imbuendi sunt, mors Christi principaliter inseratur. Unde Paulus Corinthiis adhuc rudibus ita dixit. *Nescivi me scire aliquid inter vos nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum*. I. Cor. ii. 2. Sinister autem angulus Orientalis a quo primus versus incipit: populus intelligitur Judaicus, ex quo ortus est Dominus. Pervenit autem usque in angulum Occidentalem: quia cum Dominus noster ex Judæis sit ortus, fides incarnationis ejus et mortis, et gentibus est suscepta. Sed cum idem versus ab angulo Orientali dextro, revertitur ad angulum Occidentalem sinistrum, hoc significari videtur, cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus erit. Rom. xi. 25 et 26. Utriusque ergo populi collectionem illi duo versus significant in unam crucis compaginem. Hinc est quod Jacob filiis Joseph benedicens, Gen. XLVIII. 14. et cancellatis manibus effigiem crucis faciens, dextram manum supra Ephraim junioris, sinistram super caput Manasse majoris posuit: significans quia populus quondam dexter, in sinistrum vertetur, sinisterque in dextrum.... Quod vero eadem scriptura virga pastoralis peragitur, significatur quod iste transitus de Judæis ad gentes, et ea denuo conversio, quæ in fine mundi consummanda est, per officium sacerdotum perficietur. Dehinc pontifex ad altiora conscendit, et stans ante altare.... dicit: *Deus in adjutorium meum intende*, etc. Psalm. LIX. absque *Alleluia*.... *Alleluia* enim non hujus temporis laudes, sed æternæ vitæ gloriam significat: unde mos inolevit ut in diebus Septuagesimæ ante Pascha *Alleluia* non cantetur, quia sunt dies luctus et

pœnitentiæ.... Post ea vero benedicitur aqua commixto sale et cinere. Et aqua quidem populum significari testatur Apocalypsis dicens: *Aquæ multæ, populi multi*, Apocal. xvii. 15.: Sal autem doctrinam verbi divini signat.... Cinis autem memoriam signat dominicæ passionis, quam significabat cinis vitulæ aspersus ad expiationem populi. Aqua ergo benedicitur, ut sanctificetur. Sal cum cinere miscetur, cum populus ut sanctificari possit, divina sapientia et fide dominicæ passionis instruitur. Fit autem crux ter super aquam et sal et cinerem cum fidei divinitatis et passionis, fides additur Trinitatis. Huic ergo mixturæ et vinum additur cum aqua. Quæ duo geminam naturam significant in una persona, divinitatem scilicet et humanitatem. Et est ordo intuendus. Primum pontifex ostium intrat; deinde pro populo orat; post hæc alphabetum scribit; inde aquam cum sale et cinere benedicit, cui vinum admiscet: quia unusquisque primum sibi per confessionem portam salutis aperit; deinde est sacerdotis pro eo orare, post hoc primordia fidei ei tradere, et quasi catechumenum facere, deinde instrui, qualiter jungi possit corporis sui Salvatoris per sacram doctrinam: docere etiam quia Christus Jesus Deus et Homo: postremo sacro fonte purificari. Hoc idem significatum est in exteriori parietum aspersione, sed non ideo hic fieri ad interiorem parietum aspersionem supervacuum videri debet: quia quidquid in exteriori sanctificatione agitur superstitiosum est, nisi interiori homine compleatur. Post hæc tingit sacerdos digitum in aqua, et facit crucem per quatuor cornua altaris. Altare enim Ecclesiæ figuram præfert: quod per quatuor cornua distenditur, quia per quatuor mundi cardines dilatatur. Pro cuius typo Abrabæ dictum est: *Dilataberis usque ad orientem et occidentem, septentrionem et meridiem*. Genes. xxviii. 14. Bene ergo crux de aqua fit per quatuor altaris cornua: ut ostendatur omnem Ecclesiam esse mundandam a sordibus peccatorum per lavacrum aquæ et fidem passionis. Inde venit ad altare, et aspergit illud septem vicibus, quo numero significatur plenitudo Spiritus Sancti, id est, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini. Aspergitur autem eadem aqua cum hyssopo, quæ herba est humilis, interiora pectoris purgans, et duritiam saxorum radicibus penetrans, cuius aspergine munditiæ siebant in lege. Significabat autem humilitatem Christi, qui superbiæ nostræ tumores, sui sanguinis aspersione sanavit. Aqua ergo cum hyssopo aspergitur,

cum baptismus Christi sanguine consecratus Ecclesiæ tribuitur. Circuit autem altare spargendo eandem, aquam, ut ostendat doctorem non debere otio vacare, sed eorum quos initiaverit mundationi operari dare, et ut *Dominus mittat angelum in circuitu eorum*. Ps. xxxiii. 8, qui eos erudiat semper orare. Circuit dehinc totam ecclesiam, et aspergit parietes illius; ut demonstret se omnem curam impendere omni ætati, omni sexui. Facit autem secundo et tertio, ut ostendat eos qui baptizantur, non solum esse mundandos a peccato cogitationis, sed etiam locutionis et operis. Canitur autem interim Psalmus lxxvii: *Exurgat Deus* cum antiphona, ut viribus destituantur qui sacramentis fidei adversantur. Cantant etiam antiphonam: *Qui habitat in adiutorio Altissimi*, Psal. xc. 1, asserentes nullum a Deo protegí, nisi eum qui de viribus suis nihil præsumens, Dei adiutorium semper imploraverit. Ipse tamen pontifex non debet quiescere, sed quasi conspicuus per mediam Ecclesiam incedere, omnes suo exemplo informare, omnibus sacramenta crucis ac mortis Domini intimare, et cantare, *Domus mea, domus orationis vocabitur*, Is. lvi. 7: videlicet, ut talem ecclesiam præparet, quæ non sit *spelunca latronum, sed domus orationis*, Matt. xxi. 13; id est, non fures et latrones, sed qui *benedicant Dominum omni tempore* Ps. xxxiii. 2.... His peractis pontifex se ad orationem confert, ut omnes qui eandem domum oraturi intraverint exauditos se esse gaudeant: ut ostendat pontifex, se omnium subditorum curam cum Paulo gerere, II. Cor. xi. 28, et eorum memoriam se in orationibus suis frequentare... Pontifex... fundit quod remansit de aqua purificationis ad basim altaris: quia quod ipse nequit, Deo humiliter committit, purgationem scilicet subditorum, cui ipse tanquam homo cooperari et collaborare potest. Interior autem et perfecta mundatio, solius est Dei.... Postea extergitur altare linteo... Deinde fit incensum, quod significat orationes sanctorum, secundum quod Joannes dixit de angelo, quod *data sunt ei incensa multa ut daret de orationibus sanctorum super altare, quod est in conspectu Domini*. Apocal. viii. 3.... Interea mittit pontifex oleum super altare, in medio altaris crucem ex eo faciens, et super quatuor angulos altaris. Est quidem satis congrue ordo servatus, ut post mundationem per aquam.... perfundatur oleo altare; quia et sancta Ecclesia prius aqua mundatur in fonte baptismatis, et sic unctione insignitur per manus pontificis, ut Spiritus Sancti in se mereatur adventum. Nam oleum gratiam significat Spiritus Sancti, qui *Charitas diffunditur in cor-*

dibus, Rom. v. 5. electorum, ad diligendum Deum et proximum. Dehinc insignitur altare sacrosancti chrismatis unctione, et interim cantatur antiphona: *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, Ps. xlv. 8, ut hac unctione intelligamus plenitudinem gratiæ, quæ præcessit in capite et postea refulsit in corpore, cum misso desuper Spiritu, data est apostolis manifesta chrismatum gratia, de qua dicit apostolus: *Omnes de plenitudine ejus accepimus gratiam per gratiam*, Joan. 1. 16, id est per gratiam fidei diversa chrismata. Hinc est, quod de consecrato altari chrismantur in parietibus illæ duodecim cruces, quæ typum gerunt apostolicum, qui et primitias Spiritus acceperunt, et crucis mysterium populis et gentibus manifestare studuerunt. Peracta denique consecratione, albis velaminibus cooperitur altare, quibus et sacramentum intelligitur novitatis, et prænuntiatur... gloria futuræ incorruptionis. Hujus enim templi non manufacti, tunc vera et plena erit consecratio, cum *passibile hoc induerit impassibilitatem, et mortale hoc acceperit immortalitatem*; I. Cor. xv. 53. et 54; et completum erit in corpore quod jam præcessit in capite. Unde in Psalmo qui jam intitulatur: In dedicatione domus, ex voce Mediatoris, tam pro se quam pro membris suis, ita continetur: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia*. Ps. xxix. 12. Planctum dicit mortalitatem nostram, quæ tandiu deflenda est, quandiu peregrinamur a Domino. II. Cor. v. 6.... Hic planctus, hic dolor in gaudium vertitur, cum ad patriam a qua nunc exulamur, peracta peregrinatione pervenitur.... Saccus ergo noster conscinditur, cum passibilitas et mortalitas humanæ naturæ de peccato veniens in immortalitatem commutatur (S. IVON. CARNOTENS. serm. 4. de Sacram. Dedic.). — Quanto autem studio, et amore Christus sibi sponsam ornat et præparat ad cœlestem dedicationem, per temporalem Ecclesiæ dedicationem ex parte significatur. Pontifex enim ter circuit ecclesiam dedicandam, aspergens eam aqua benedicta, clero et populo sequente. Interim extrinsecus et intrinsecus duodecim ardent luminaria. Quoties ad portam venit (propter mysterium clausam), episcopus percutit superliminare virga pastoralis dicens: *Attollite portas principes vestra, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ*. Ps. xxiii. 7. Diaconus respondet: *Quis est iste Rex gloriæ?* Ibid. 8. Cui pontifex: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*. Ibid. 10. etc. Tertia vice reserato ostio intrat cum clero et populo dicens: *Pax huic domui*. Matth. x. 12.

Deinde cætera peragit, quæ ad dedicationem pertinent. Quæ autem hic fiunt visibiliter, omnia in anima per invisibilem virtutem Deus operatur, quæ verum templum Dei est: ubi fides fundamentum facit, spes erigit, charitas consummat. Ipsa etiam Ecclesia catholica una ex multis lapidibus adunata, templum Dei est; quia multa templa, unum templum, quorum unus Dominus et una fides. Domus ergo dedicanda, est anima sanctificanda; aqua, pœnitentia; sal, sapientia; trina aspersio, trina immersio baptizandi; luminaria duodecim, totidem apostolis crucis mysterium prædicantes; pontifex, Christus; virga, ejus potestas; trina percussio, cœlestium, terrestrium et infernorum dominatio, *ut trina rerum machina flectat genu jam subdita*, Hymn. in die Ascens.; interrogatio inclusi, ignorantia populi; apertio ostii, evacuatio peccati. Pontifex intrans pacem domui precatur, et Christus ingrediens mundum pacem inter Deum et homines facit. Deinde prostatus pro sanctificatione Dominum orat, et Christus humiliatus ad passionem pro discipulis et credituris hominibus orabat, dicens: *Pater, sanctifica eos in veritate*. Joan. xvii. 17. Surgens non salutat, sed orat tantum, quia non est applaudendum iis, qui nondum sanctificati sunt, sed pro iis orandum.... Descriptio alphabeti in pavimento, est simplex doctrina fidei in corde humano. Versus a sinistro angulo Orientis, ductus in dextram Occidentis, et alter a dextro Orientis in sinistrum Occidentis, crucem exprimit et collectionem utriusque populi figurant: juxta illud quod Jacob cancellatis manibus filios Joseph benedixit. Gen. xlviii.... Quod deinde stans ante altare Deum in adjutorium invocat, significat eos, qui percepta fide ad pugnam se præparant; et quia adhuc sunt in certamine, quasi inter suspiria, nondum *Alleluia* adjungitur. Post hoc aqua benedicatur cum sale et cinere etiam addito vino aquæ mixto: aqua est populus; sal, doctrina; cinis, memoria passionis Christi; vinum aquæ mixtum, Christus Deus et homo; vinum, divinitas; aqua, humanitas. Sic populus sanctificatur doctrina fidei, et memoria passionis, junctus suo capiti Deo et homini. Unde altare et ecclesia interius aspergitur, ut intus sicut extra spiritualis Ecclesia sanctificanda ostendatur. Aspersum de hyssopo, humilitas est, qua aspersa mundatur Ecclesia catholica. Circuit aspergendo quasi lustrans, et curam omnibus impendens. Interim cantatur: *Exurgat Deus, et dissipentur*, etc. Psalm. lxxvii. Responsorium ejus cum antiphona, quam sequitur alia: *Qui habitat in adjutorio Altissimi*. Ps. xc. Et pontifex cantat: *Domus mea domus orationis voca-*

tran, celebran el aniversario de sus dedicaciones ¹. Quizás tambien, colocando en esta época la fiesta general de la *Dedicacion*, háse querido que fuese como el complemento y conclusion del año *ecclesiastico*, que termina con este mes? ².

Conclusion. Así, cristianos, séa que consideremos la fiesta de la Dedicacion en la ley antigua, séa que la consideremos en la nueva, vemos que, en todo tiempo, há sido considerada cómo de las

bitur. Is. lvi. 7. et Matt. xxi. 43; et item: *Narrabo nomen tuum fratribus meis*; Ps. xxi. 23; et quia sine Deo nullum opus proficit, in consummatione orat, ut exaudiantur beneficia ibi ingrediens peturi. His factis venit ad altare cantans; *Introibo ad altare Dei*, cum psalmo toto, etc. Psal. xlii. 4, et quod remansit de aqua ad basim altaris effundit, committens Deo quod excedit vires humanas in tanto sacramento. Deinde altare linteum extergitur; altare Christus est, linteum caro ejus tusionibus passionis ad candorem et gloriam immortalitatis perducta. Hinc pontifex offert super altare thus in modum crucis accensum in medio altaris, et per quatuor angulos ejus crucem facit de oleo sanctificato. Deinceps cruces tres per singulos parietes ecclesiæ de eodem oleo chrismantur; et sic peracta consecratione altare albo velamine operitur. Incensum, orationes; oleum, gratiam Spiritu Sancti demonstrat. Cujus plenitudo (*sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron*) Ps. cxxxii. 2, descendit in apostolos eorumque discipulos, qui crucis mysterium per quatuor climata mundi Domino cooperante prædicaverunt. Album velamen immortalitatis mysticat lætitiã, de qua Filius exsultat Patri dicens: *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitiã*. Ps. xxix. 12. (HUG. A. S. VICT. *de Myst. Eccl.* c. 2). — *Vide eadem fusius explanata ab eodem Auctore lib. 1. de Cæremoniis Ecclesiasticis, cap. 1. ad 12. exclusive, quæ non nisi præcedentium repetitio sunt.* — Esta larga nota suministrará materiales abundantes a los predicadores que querrán una instruccion especial sobre las ceremonias de la *Dedicacion de una Iglesia*. Es con este proposito que se há puesto.

1. La *Dedicacion de la Iglesia de San Juan de Letran* se celebra en Roma el 9 de noviembre, y la de *San Pedro*, el 18 del mismo mes. — Véase, Alban Butler, 9 y 18 Nov. — 2. Gosselin. lcc. cit.

más solemnes y celebrada con mucha pompa. Qué deducir de ahí, sinó que debemos, á ejemplo de los antepasados, celebrarla á nuestra vez con toda la devoción de que somos capaces? Quizás que, hasta el presente, no habíamos nunca sabido cuán venerable es esta fiesta por su institucion y por su antigüedad. Ahora, mejor instruidos, hagámos servir nuestras luces para nuestra piedad. Recordémosnos la manera cómo se la celebraba antiguamente, los ocho dias que se consagraba y el grandioso aparato del cuál se la rodeaba. Y si la Iglesia no quiere hoy pedirnos más que un día para celebrarla, que, por lo menos, nuestro fervor compense la disminucion hecha en su duracion. Asi esta magnifica solemnidad en honor de las iglesias materiales de la tierra, contribuirá á hacernos dignos de entrar un dia en la Iglesia inmaterial del cielo. — Asi séa.

FESTIVIDAD DE LA DEDICACION DE LAS IGLESIAS

SEGUNDA INSTRUCCION

Por qué motivos esta fiesta ha sido instituida.

- I. Para dar gracias á Dios por haberse élegido una estancia entre nosotros. — II. Para hacernos recordar que nosotros mismos somos templos consagrados á Dios. — III. Para dirigir nuestros pensamientos hacia el templo celestial del cuál los élegidos son piedras vivas.

Las palabras acabamos de oír á Zaqueo dirigir á Nuestro Señor, hospedado en su casa, y la respuesta que le dá el Señor, encierran lecciones que se relacionan con la fiesta de la Dedicacion de las iglesias que celebramos en este día. En efecto, el discurso del jefe de los publicanos es la expresion de un corazon lleno de reconocimiento hacia Jesus, por haberse dignado ir á su casa; y la respuesta de Nuestro Señor le hace comprender que su reconocimiento

no es más que justo, puesto que le há llevado la salvacion, y él le abrirá al fin de su vida las puertas del cielo, si se hace digno de entrar, lo que en adelante no depende más que de él solo: *La salvacion há entrado hoy en esta casa... Porque el Hijo del Hombre há venido á buscar y á salvar lo que estaba perdido.* Pues bien, es precisa y principalmente para réanimar en nosotros estos sentimientos y recordarnos estas verdades, para lo que há sido instituida la fiesta de la Dedicacion de las iglesias, asi cómo resulta de la consideracion de las oraciones que se recitan y de las instrucciones que los Santos Padres han dado sobre esta solemnidad. Hé ahí por lo que pienso que será útil á vuestra piedad el que hagámos de esto el asunto de nuestra presente platica. Y á fin de poner todo el orden deseable, me propongo explicaros que la fiesta de la Dedicacion há sido instituida principalmente: en primer lugar, para dar gracias á Dios por haberse élegido una estancia entre nosotros; en segundo, para hacernos recordar que nosotros mismos somos templos consagrados á Dios; y en tercer lugar, para dirigir nuestros pensamientos hacia templo celestial del cuál los élegidos son piedras vivas ¹.

1. Celebratur templi dedicatio annua etiam ut reficemus nobis in memoria beneficium dedicatæ Ecclesiæ universalis, ex judaica mutatæ in christianam, cujus typus sunt nostra templa. Synagoga sterilis simul et spinosus ager erat, ubi plurimæ leges et difficillimæ, aena sacramenta, umbra tantum, et pœnæ graves transgressoribus positæ. Gratias igitur immortales Deo debemus, qui Ecclesiam nobis plantavit; sed quia ejus plantatio etiam difficilis fuit, et per frecentos persecutionum annos plurimo christianorum sanguine rigari debuit, sicque tandem adolevit, ut omnia alia regna magnitudine et felicitate longe superaret; huic jure merito singulis annis triumphum dedicationis ejus agimus, et in signum victoriæ labarum de turri suspendimus, more eorum, qui, civitate expugnata, vexillum in mœnibus erigunt. Quemadmodum enim Hebræi ideo templi sui encœnia annuatim celebrabant, quia partim maximis impensis, partim summis difficultatibus extractum erat; sic nos Ecclesiæ nostræ, quia impensa san-